

cuius insuffitientiam regnum fidelium periclitaretur. Papa potest eum deponere, quia secundum phylosophum⁸⁾ bonum comune prefertur bono privato; nam quia insufficiens cum bona conscientia non potest preesse alicui civitati et ad papam⁹⁾ de iure divino dignoscitur pertinere corripere de quocumque peccato mortali⁹⁾, potuit ista de causa^{h)} consentientibus baronibus Lodovicum regem Franchorum deponere et Pipinum nanum¹⁰⁾ loco eius regem substituere⁷⁾; supra capitulo CLXXXVIII i).

cap. 59 Quod Christus homo fuit verus imperator temporalis totius orbis.

Sicut iam dictum est, ille status sive spiritualis sive temporalis dicitur esse a deo, qui ex dei providentia ipso ordinante et cohoperante procedit. Nunc ergo restat, postquam de statibus veteris testamenti ex infusione divina procedentibus est dictum, inquirere, utrum in novo testamento a deo immediate aliquis status emanaverit. Et est dicendum quod sic in Christo homine, de quo dicit apostolus ad Hebreos capitulo primo¹⁾, quod deus constituit eum scilicet Christum heredem universorum. Glosa Thome de Aquino²⁾: 'Filius in quantum homo constituitur heres universorum; et hoc quantum ad omnes creaturas, in quibus dominationem accepit non solum Iudeorum sed etiam gentillium, sicut dicitur in Psalmo³⁾: 'Postula a me et dabo gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos terre. Reges eos in virga ferrea et tamquam vas figuli confringes eos.' Actor⁴⁾: Gentes dicti sunt Romani Tartari pagani, soli Iudei dicti sunt populus dei. Hoc imperium totius mundi Christus divina infusione accepit in hora sue conceptionis, quando per Gabriellem archangelum fuit beate virgini anuntiatus . . .

cap. 60 De argumentis quod Christus non fuit imperator temporalis.

Querunt aliqui hereticelli, qui regiam seu imperialem dignitatem a Christo auferre conati sunt, istis argumentis inducti et primo sic: Christus cum sit summa^{a)} veritas mentiri non potuit, qui dicit de se ipso Mathei xviii. capitulo¹⁾: 'Regnum meum non est ex hoc mundo'; ergo non fuit rex temporalis. Preterea: omne regnum aut est ex populi electione aut ex imperatoris vel cuiuscumque^{b)} alterius superioris principis collatione aut hereditaria successione aut ex divina infusione²⁾, sed Christus nullo istorum modorum fuit factus rex; ergo et cetera. Preterea: ille pro rege habetur, qui coronatur inungitur et cui^{c)} sceptrum cum pilla tribuuntur et alie solempnitates exhibentur; sed Christus

g) cui add. BW

h) ista de causa potuit tr. W

i) supra —

CLXXXVIII om. W; CLXXXVIII B

⁸⁾ Vgl. I. Th. Eschmann O. P., *Bonum commune melius est quam bonum unius*, *Mediaeval Studies* 6 (1944) S. 62 ff. ⁹⁾ Vgl. X. 2. 1. 13.

¹⁰⁾ Vgl. GA cap. 235 Anm. 20.

cap. 59 ¹⁾ Heb. 1, 2. ²⁾ Super ep. ad Hebr. lectura 1, 1, 21 (ed. Cai S. 340). ³⁾ Ps. 2, 8—9. ⁴⁾ Vgl. GA cap. 2 f. 1v: Ubicumque dicitur auctor (actor T), intellige illam esse mei proprii capitis sententiam.

cap. 60 a) ipsa B b) cuiusdam W c) om. B

¹⁾ Tatsächlich Io. 18, 36. ²⁾ Eine ähnliche Einteilung bei Petrus de Palude, *Tract. de pot. papae* 150 f., der jedoch statt ex imperatoris . . . collatione per bellum hat; diese Einteilung und die dazugehörigen Ausführungen in cap. 61—62 haben eine auffällige Entsprechung bei Bellarmin, *De summo pont.* 5, 4 (Op. omnia 2, Parisiis 1870, S. 149).